

Reginbertos, integro fere saeculo inter se distantes, quorum unus loci nostri auctor, alter vero abbatae fundator extiterit.⁴

Nova haec sententia, quae primordia congregationis nostrae, multis adhuc tenebris, obfuscata illustriora redderet historiographo nostro, patri Stanislao Wülberz, adeo adrisit, ut non modo diatribam multis foliis constantem propria manu describeret, sed et conjecturas patris Hugonis novis argumentis firmare ac stabilire adlaboraret.

Aliis vero Blasianis et maxime doctissimo abbati Martino nova haec assertio minime placuit, eo potissimum ex capite: cum ex actis domesticis certo quasi constet, inquit, sub Reginberto fundatore in abbatem coenobii electum fuisse Beringerum; si duo Reginberti fundatores aut dotatores fuerint, adstruant etiam novatores duos Beringeros loci nostri abbates.

Hoc ipsum autem erat, quod isti probandum sibi assumpserunt, nempe interregnum illud septuaginta unius annorum¹ a Beringero usque ad Wernerum, eius nominis primum, et loci huius secundum abbatem, de quo in libro constructionum et libro originum fit mentio, vane esse confictum. Iuxta externos enim scriptores, aiunt, Berngero, sub Reginberto eremita electo abbati, successisse Yzonem propter morum insolentiam a fratribus, antequam confirmaretur, eiectionem: huic vero successisse Sigeridum seu Sigefridum, Engaherum quemdam et Gräffingerum, opinioni huic omnino adversantur acta nostra*. De Wernero enim eius nominis primo haec habent: obiit venerabilis abbas Wernerus, qui locum hunc secundus accepit regendum. De Gisilberto vero: Gisilbertus anno 1068 praesul tertius efficitur. Item in necrologio antiquo: dominus Gisilbertus antistes huius loci tertius obiit. Otto vir doctissimus, continuator Ottonis Frisingensis, in charta data anno 1223 de se ipso sic loquitur: ego Otto s. Blasii XII abbas.

Quae allegata falsa prorsus sunt, si inter Beringerum de Hochenschwande, praeter Yzonem, a fratribus antequam ab episcopo confirmatus esset, eiectionem, atque ideo nunquam inter abbates nostros connumeratum, alii duo vel tres adhuc ante Wernerum staturerentur Blasiani abbates. Tandem vero Stanislau candidè adposuit: „has de abbatibus ante Beringerum conjecturas tanquam possibiles tantummodo vendo.“

Tabula quinta. Reginbertus de Seldenburen nobilis et monachus s. Blasii, qui prioratum in abbatiâ suis

sumtibus evexit, obiit IV. kal. Januarii 1036; de anno obitus eius dubia adhuc et incerta res est.

Cui iste nobis summe venerandus Reginbertus ante conversionem imperatori a servitiis fuerit, Ottoni primo vel secundo? Toga aut saga? Quo anno ad conversionem huc venerit; quo anno et die obierit, domi aut foris? Haec omnia inter scriptores nostros et externos controversa sunt adhuc, de quibus scripserunt p. Stanislau Wülberz prolegomeno tertio ad epitomen sive arnales Blasianos pagina 60 et Martinus Gerbertus historia Silvae Nigrae tom I. pag. 177. Continuator Reginonis et annalista Saxo ad annum 962 de eo hoc solum dicunt: Reginbertus, dei servus, obiit. Iste construxit abbatiâ s. Blasii in Suevia. Unde et in tabula hac bene scribitur: prioratum in abbatiâ suis sumtibus evexit (haereditariis nempe suis possessionibus, quas in pago Zurichgowe copiosas habebat). In bullis pontificum et chartis regum sanctus vocatur aut beatus, nec immerito. Anonymus enim in libris constructionum de eo testatur. — multis miraculis per eum factis, quae noluit redigi in scriptis causa humilitatis — de ista peregrinatione — ab angelis est susceptus. Inter alia pietatis eius opera praecipue nominari meretur constructum eius jussu xenodochium, in quo in dies duodecim pauperes ali debuerant.

His tantum addo, quae ad conservandam tanti benefactoris memoriam, ante ultimum incendium publice in ecclesia et conventu videnda et legenda erant monumenta. In muro chori a latere evangelii positum ei erat mausoleum sive lapis sepulchralis cum hac inscriptione: „anno redempti orbis 964. 4. kal. Januarii obiit inclytus et generosus Regibertus, baro a Seltenspuren, huius loci auctor.“ Bene advertit Stanislau: „mausoleum hoc seu epitaphium recentioris esse aetatis et post secundum incendium [1322] ab abbate Gallo vel Casparo secundo ibi fuisse positum. Postrema eius verba: „loci huius auctor“ obscura sunt. Locus enim hic jam locus regularis erat diu antea, quam Reginbertus vel primus vel secundus huc venerant, siquidem verum sit: Ehrenfridum, Constantiensem episcopum, anno 748 defunctum, fratribus ad Cellam Albam regulam sancti patris Benedicti tradidisse observandam. Melius posuisset: abbatae huius auctor, quod nunc indubie creditur, verum esse.

Inter tabulas abbatum, quas Casparus secundus cum ectypis et inscriptionibus depingi curavit, prima in inferiori ambitu conventus ante incendium prope refectorium suspensa erat, quam Martinus aeri incisam tomo primo Nigrae Silvae ad pag. 178 inseruit, in qua sistitur Reginbertus cataphractus, manum dexteram (brachii

¹ annum, §f.

* Das ist der rotulus defunctorum.